



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Capvt I. Verbum prolatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

pars humanitatis de Deo, aut è contrario, vel ipsæ inter se partes, falsò & illegitimè enunciantur.

Vim huius doctrinæ permagnum, eruit Theodoretus, Hebr. 2. agens de Dei Verbo. [Non erubescit, inquit,] propter hominum salutem, vel humilibus vti verbis, præter suam dignitatem. Est planè hæc dignitas infinita, quòd Deus paupertatem nostram ea quoque in parte sibi adoptare voluerit. Non possunt satis sufficere Chrysost. hom. 15. in ep. ad Rom. in *Moralis*, & Saluianus 4. ad Ecclesiam, *sub medium*, quòd Christus voces in se, pauperum, nudorum, vinctorum, cæterorumque egentium transferat ex charitate. Hic verò non ex mero affectu, sed cum reali fundamento, abiectiones nostras omnes in se transfigurat. Docemur nos quoque, aliorum abiectiones & miseras, compatiendo nostras dicere, vt Augustinus notauit hom. 15. ex 50.

SECTIO V.

Enodationis Catholice diuini enigmati, hætenus propositæ ac discussæ, illustratio, subiecti emblematis sacris & allegorij.

239. **S**ive primænam spectes emblematis notionem, pro accessione ornandæ rei causâ, vt est apud Vlpianum l. 19. ff. de *am. & argen.* & c. siue vulgarem, pro delineatione amena & ad persuadendum minis operosa, iure his quas subijcio mysterij propositi expressionibus, emblematum nomen indere posse videor: Quòd & anteriori mysterij huius propositiõis enigmati, accedant ad ornamentum, & non exiguis sacris amœnitatibus conuellantur, sintque intellectu longè faciliores & clariores. Verum ne infinitam vim, huiusmodi expressionum huius mysterij cumulem; exiguum dumtaxat repræsentabo earum numerum, ex ijs quæ in Scripturis aut Patribus sunt frequentiores, aut quæ è re nostra magis esse videbantur. Cuiusmodi sunt quas sequentes tituli exhibent, Verbum prolatum, scriptum, vestitum calceatum, obumbratum, effusum, instrum, abbreviatum, inequitans, negocians, hamatum, fermentans.

CAPUT I.

Verbum prolatum.

Nullam esse aptiorem scalam, qua ad Deum & diuina subuehi liceat, consideratione attenta animæ nostræ, dixit S. Basilus serm. in illud *Attende tibi*, & optime S. Anselmus c. 64. monol. vt non immeritò, esse hoc *ostium contra ostium*, de quo Propheta, censuerit S. Greg. hom. 17. in Ezech. itaque huius mysterij per typos manifestiores exhibendi, initium faciam ab eo typo quem suppeditat anima nostra. Neque verò consilium est reuolui in ea quæ superius proposita sunt, de analogia mysterij huius & vnionis animæ nostræ cum corpore: quo exemplo tam multos Patres ad huius mysterij elucidationem aliquam vfos vidimus, estque appositissimum; quandoquidem iuxta Nyssenum in 99. de imagine, sicut anima nostra nuda & per se sumpta est Dei imago; ita effigies Dei cum carne inuncti, est anima nexa corpori. In hæc denuò relabi non placet. Possimus enim alia ratione, & quidem optima, valdeque accommodata, typum verbi Diuini, & in seipso, & carni nostræ confibulati, ex nostra anima ducere, cum varijs Patribus quos mox proponam, & cum S. Thoma opusc. 6. ad artic. 3. Symboli.

Preludium ad expositionem analogia prolationis verbi mentalis, cum Incarnatione Verbi Dei.

240. Huius rei gratiâ supponendum est, quòd est apud Patres vulgatissimum, esse in anima nostra Trinitatem quandam, ratione cuius non modò finis ad imaginem Dei vt vnus est, sed etiam prout est trinus. Agnoscit eam Trinitatem creatam Gregor. Nyssenus opusc. de imag. Et S. Augustinus 9. Trinit. c. 2. & plerisque sequentibus, & passim alij Patres. Et est sanè in nobis memoria secunda, quæ quoties ad recogitandum accingimur, efformat verbum nostrum mentale, illudque ex se depromit, ex verbo sine notitia, affectus & amor procreatur. In quo processu aliquam Patris Filium gignentis per intellectionem, & Verbi ea via geniti, & Spiritus sancti per viam voluntatis & amoris ex vtroque procedentis, cernere licet: vt S. Anselmus fusè prosequitur in monologio à c. 4. 5. ac si ipse est Auctor libri de cognitione veræ vitæ, longa apud eundem tractatio habetur analogiæ prædictæ à c. 14. libri illius. Apud S. Athanasium q. 4. ex nouis, loco memoria secundæ quam Patri respondere diximus, aptius assignatur substantia ipsa animæ, quæ est fons potentiarum, & via substantialis. Quod ad rem nostram parum refert qui nunc Verbi nostri vnionem & productionem, eiusque cum Diuino Verbo analogiam obiter tantum attendimus.

Illud potius nunc spectamus quòd eadem q. 4. egregiè prosequitur Athanasius, & Gennadius Scholarius in via salutis, qua coram Turcorum Principe de rebus nostræ fidei disseruit; Nempe, præter cum verbi nostri mentalis statum, quem habet in anima vi productionis quam eo modo accipit, alium spectari posse eius statum, quo verbum, prius merè spirituale & nobis immanens, foras quasi prodit, & veluti corporatur atque efficitur. Quod duobus modis potest contingere, prior est per verbi nostri communicationem cum alio per verba vocæque materiales. Nam quando alteri colloquimur, verbum nostrum de sinu nostro profunditur & eructatur, illigatum sono. Hanc S. Athanasius, ait esse generationem verbi per labia, eamque accuratè in hunc modum distinguit à priore generatione. [Sermo hominis duplicem habet generationem, & in duabus lationibus generatur: vnâ quidem lationem habet ab anima, altera autem à labijs. Et nascitur quidem sermo hominis ab anima, cum quis cogitat quid dicere: Cogitatio enim prima generatio est rationis, quia cogitat pronunciare illum sermonem: non profert autem illum per labia: sed seruat eum sermonem anima in sinibus suis, & est cogitatio illa prima generatio sermonis ab anima. Ille enim, etiam si nascatur ab anima, primam generationem habet, sed quando cogitat illum anima: sed non profert illum, sed diligenter conseruat eum. Quando autem vult aperire sermonem, tunc profert eum ex labijs, & hæc est secunda generatio ex labijs. Ipsa autem ex labijs secunda generatio sermonis, aperit sermonem omnibus, nec ampliùs sermo obsecutus est, sed aperitus. Quando autem profertur sermo per labia, tunc omnes audiunt eum: & manifestus fit omnibus: & hæc generatio dicitur, quæ per labia exit secunda generatio sermonis, aded vt duæ sint generationes sermonis nostri: vna quidem animæ, quando cogitat de enuncians sermone, quæ & prima generatio dicitur.] Altera verò est generatio per labia. Similiter de prima verbi mentalis corporatione, philosophatur S. Fulgentius ad sermonem Fastidiosum, c. 16. Posterior modus quasi corporandi verbi mentalis, est is quo mentalis conceptio, Scripturæ illigatur. Vterque hic modus, egregiam omnino expressionem continet mysterij incar

incarnationis. Dicamus de utroque aliqua, ac primum
hoc capite de priori modum.

Agnoscere eam analogiam Patres.

241. Analogiam verbi mentalis, sicut quasi vestiti &
per cum foras transmissi, cum Verbo per incarnatio-
nem ad nos misso & sine Patris, agnoscit Origenes hom.
1. in discipulos, & sepe S. Augustinus 15. Trinit. c. 11. his
patet cetera. [Verbum quod profertur carnis ore,
vox verbi est; verbumque & ipsum dicitur propter il-
lud a quo foras ut apparet assumptum est. Ita enim
verbum nostrum, vox quodammodo corporis fit, as-
sumendo eam in qua manifestetur sensibus hominum:
sicut Verbum Dei caro factum est, assumendo eam in
qua & ipsum manifestaretur sensibus hominum. Et
sicut verbum nostrum fit vox, nec mutatur in vocem:
ita Verbum Dei caro quidem factum est, sed absit ut
mutaretur in carnem. Assumendo quippe illam, non
in eam se consumendo, & hoc nostrum vox fit & il-
lud caro factum est. Et 1. doct. Chist. c. 13. exponens
adversum Verbi nos. [Quomodo (inquit) venit
ipsi quia Verbum caro factum est, & habitavit in no-
bis? sicut cum loquimur, ut id quod in anima gerit-
ur, in audientis animam per aures carnes illabatur,
sensibus, verbum quod corde gestamus, & locutio vo-
catur: nec tamen in eundem sonum cogitatione nostra
convergitur, sed apud se manens integra, foras vo-
cis, qua se infundit auribus sine aliqua labe, sine muta-
tione affluit: ita Verbum Dei non commutatum, car-
nem tamen factum est, ut habitaret in nobis.]

Egregie Gennadius Scholarius in via salutis. Vbi in-
cipit promittit duplicem sermonis humani forma-
tionem, ipsam prope verbis quibus eam paulo ante
et Athanasio descripsi. Tum subdit. Aspicere igitur quod-
aliquid sermo hominis duas origines habet vnam
ex anima, alteram ex labijs, ita & Verbum Dei duas
generationes habet; vnam ex Deo Patre, quæ & pri-
ma dicitur generatio, & alteram ex carne, quæ & se-
cunda dicitur generatio. Et quemadmodum sermo
nostrum est formatur, primam originem habet ab ani-
ma, utram non est clara nec manifestatur, sed iterum
post formationem, manet in gremio anime, sic &
Verbum Dei, quamvis natum est ante secula à Deo
Patre, non fuit tamen manifestum hominibus, sed fuit
in paterno gremio, quemadmodum sermo noster,
quando volumus, formatur ex labijs nostris, & mani-
festatur omnibus astantibus. Ita similiter & Verbum
Dei quando bene placuit natum primo esse, ex labijs
Prophetarum fuit prædictum: Deinde natum est ex san-
cta Virgine Maria, & tunc manifestatum fuit toti orbi.
Quemadmodum enim manifestatur sermo noster
cum sit natus ex labijs nostris, ita & Verbum Dei na-
tum est ex carne sanctæ Virginis, ac manifestatum est
toti orbi, & qui credunt in eo salvi sunt. Et quemad-
modum sermo noster, quando formatur à labijs, nec
ab anima deest, nec à labijs nostris; & in auribus au-
dientium, nunquam deest, etsi mille millia audient
orationem, non diminuitur sermo, sed semper sermo
nostrum integerimus est: Ita Verbum Dei natum ex
Virgine Maria, ex Prophetarum labijs fuerat prædi-
ctum, utram nec à Patre deest, nec à carne, nec ab
omnibus hominibus, nec ab universo orbe, sed ubi-
que erat, & non diminutum est, verum amplissimum
est; ita intellige & de Verbo Dei, quod duplicem
habet generationem, vnam ex Deo Patre ante secula;
à carne verò alteram in novissimis diebus. Quemad-
modum sermo noster primum producit ab anima,
secundò autem à labijs.]

Profecto haud dubie Gennadius ex Athanasio, qui
pluribus & multis notatis circumstantijs, eandem ana-
logiam persequitur q. illa 4. post expositam duplicem
Theop. Rayn. Christum.

verbi nostri generationem ut proinde operæ pretium
videatur eum adscribere. [Dilecti (inquit) accuratè.
Quemadmodum sermo hominis duas habet genera-
tiones, vnam ex anima, & alteram ex labijs: ita etiam
Dei Verbum duas generationes habet, vnam quidem
ex Deo Patre, quæ & prima generatio dicitur: & al-
teram ex carne, quæ & secunda generatio dicitur. Et
quemadmodum sermo noster quando natus est secun-
dum primam generationem ab anima obsecutus est, &
non aperitur: sed potius post generationem manet in
sinibus animalibus: Ita & Dei verbum, quantumvis
ante secula à Deo Patre natum est, non tamen mani-
festabatur hominibus. Manebat enim in sinibus pater-
nis. Et quemadmodum sermo noster, quando volu-
mus nascitur ex labijs nostris, & aperitur ijs quibus-
cum versamur; ita & Dei Verbum, quando ei visum
fuit, natum est ex labijs Prophetarum, & ex ter castis-
sima Maria, & tunc factum est manifestum in to o
mundo. Sicut enim aperitur sermo noster, natus ex
labijs nostris; ita sapè & Dei Verbum natum ex carne,
quam ex Maria Virgine assumpsit, manifestatum est
toti creaturæ, & qui credunt in illud servantur. Et
quemadmodum sermo noster natus ex labijs nostris,
quando à labijs generatur non relinquit animam, ne-
que labia propria, neque aures audientium; sed est et-
iam in anima, & in labijs nostris, & in auribus audien-
tium, & minuitur nunquam, etiam si multa millia au-
diant sermonem; nec deficit, sed semper in nobis plen-
tissimus est: ita & Dei Verbum, etiam si natum sit ex
Maria Virgine, & ex labijs Prophetarum: non tamen
neque à Patre discedit, neque à carne, neque ab om-
nibus hominibus, neque à tota creatura, sed ubique
præsto est nec minutum est sed plenissimum. Atqui ita
cogita de Deo & sermone, quod duplicem habeat ge-
nerationem, vnam ex Deo & Patre, & vnam ex carne:
& hæc quidem, quæ ex Patre est, ante secula est: quæ
verò ex carne, ab ultimis temporibus: quemadmo-
dum & sermo noster primum nascitur ab anima, &
deinde ex labijs.]

*Verbi ad nos venientis immanentia apud Deum
ex eo exemplo exposita.*

242. Quod aiebat Athanasius, Verbi permanentiam
in sinu Patris cum ad nos per incarnationem exiit
expressam esse exemplo verbi mentalis, quod per lo-
cutionem effertur. Et immanet, distinctius à Chrysos-
tomo expressum est sermone de dicto Abrabæ, pone
manum tuam. Sic enim scribit. [Quemadmodum sese
habet sermo ad mentem; sic Unigenitus Dens Ver-
bum, sese habet ad Patrem. Quod quidem mirabile est.
Nam ut aliqua paulò ante dicta reperam; prius dice-
bamus, quod ex ijs quæ in nobis eveniunt, altiora
quædam perdiscere & cognoscere liceat. Sermo ita-
que noster, intrinsecus cum mente quæ ipsam procrea-
vit, conjunctus est: Num visibilis est, cum visibili &
invisibilis est, cum invisibili, intelligibilis cum intelli-
gibili, incorporeus cum incorporeo: sed cum edendus
est sermo, ad os accedit: & quidem illic vocem sibi in-
ducit, quum non alia res eidem vocem suppedit, sed illa
ipse sermo sibi dictionem contexit. Et invisibilis na-
tura cum Patre, mente dico, conjunctus; postea indu-
ta voce, se profert, & omnibus innotescit, qui paulò
ante latuerat: Deinde se prodit, & omnia explet, nec
à mente quæ ipsum procreaverat, separatur. Quis
enim ex hominibus cum prolocutus fuerit, aliosque
edocnet, seipsam doctrina exhaurit? Anne, si quid
loquor, quod ad aliorum aures perveniat, idem men-
tem penitus exprompi? an non foras quidem hæc
doctrina exijt, & intus mansit? Nonne infinitas aures
circumsonuit, neque tamen mentem procreatricem
destituit? Iam verò cum humanus quidem sermo à
O mente

mente quæ ipsum procreavit, emissus, foras prodians, auctorem suum non relinquit; Deus Verbum qui nostri gratia in hoc mundo apparuit, paternos sinus inanes reliquit? Nequaquam.]

Elegantissimum in hanc rem Eucherij locum ex homil. 1. de Natu. præterire religioni haud iniuria duxerim. [Accedere (inquit) ad nos misericordia potuit, recedere à se plenitudo non potuit. Qui enim excedit omnia, quod recedit? ac sic Unigenitus à Patre missus est, non amissus. Et ideo dixit Propheta: *Eruit aut cor meum verbum bonum*; Sicut enim ex vñu prolaticum hominis verbum, ita ad audientem à loquente transfertur, ut nihilominus in eo de quo progreditur corde teneatur: sicut sermo quem loqueris, & à te exijt, & tecum est; nouo & stupendo genere, & transit & remanet; transfunditur, nec elabitur; & quod dirigitur peruenit, & vnde emittitur non recedit: Ita & Dominus noster Iesus Christus, qui in principio erat Verbum, Deus apud Deum, ad nos prodijt, à Patre non exijt, illuc altitit, huc processit: & quia ad cælos remeans dixit, *Ece ego vobiscum sum omnibus diebus*, ad nostra descendens in suis remansit, sicut ad sua regrediens nobiscum remansit. Et ad nos ergo Verbum incomprehensibile cucurrit, & à Patris pectore non recessit.]

Idem optimè in hunc modum tradit Amedeus Laufenensis hom. 3. de Deip. quæ est de incarn. [Hoc fuit illi egredi à Patre, quod tempora nostra suscipere, quod foris visibiliter apparere; & fieri, quod ex Patris natura non erat. Quod verò dictum mirabile est, venit ab eo à quo non recedebat, ab illo egrediens, in quo remanebat; ut sine intervallo totus esset in æternitate, totus in tempore; totus inueniretur in Patre, quando totus in Virgine; totus in sua, & Patris maiestate, quando totus in nostra humanitate. Si quæris, quomodo? Collige veritatem ex imagine, verbum in corde gentium, aliquando integrè exit in voce, ut perfectè veniat ad alios & totum in corde remaneat. Sic verbum bonum de corde Patris eructatum, & in campum exijt, & Patrem non reliquit.]

Pulchrè item Basilij Seleuc. orat. 39. [Alum sanctam Deique receptricem in qua disruptum est peccati chirographum, in qua Deus factus est homo, permanens Deus, & gestari vero sustinuit, & ad nostræ generationis humilitatem se deiecit, non exinanito gloriæ paritæ sinu, quo maternos amplexus oppleret. Non enim in ea, quæ sponte agenda suscipit sese partitur Deus: quin potius manens in omnibus indivisus, salutem mundo confert. Equidem Gabriel, non sine cæli desertione venit ad Virginem Dei matrem: At Dei Verbum omnia complectens, dum in ipsa incarnatur, cælesti adoratione non caret. Ut enim verbum chartæ inscriptum, in charta totum inest, & totum in mente generante, & totum in legentibus: sic Deus Verbum, melius etiam, quod ipsi verbo cognitissimum est, totus proprio corpore & totus in Deo & Patre, & implens cælum & terram ambiens, & creata correctans omnia.] Quod de verbo chartæ inscripto habet, ad verbum prolaticum & voce conuestitutum, debet accommodari, ut in proposita analogia persistamus.

Solius Verbi Incarnatio, indidem monstrata.

243. S. Fulgentius ad sermonem Fastidiosij, ex hac quoque analogia monstrat, qua ratione Verbum solum potuerit incarnari absque Patre & Spiritu sancto, etiam si & Pater & Spiritus sanctus aliquid effecerint circa Filij solius incarnationem. Eius hæc est oratio, c. 17. [In ipsa imagine Dei hoc, est in ipsa mente hominis, cogitatio quæ ex memoria nascitur, atque for-

matur, & recedè verbum dicitur, solam corpoream vocem accipit, ut audiri corporeis auribus possit. Sic ergo in illa sancta ac diuina Trinitate, solum Patris. Verbum, quod est speculum sine macula, & imago bonitatis Dei, splendor scilicet & figura substantiæ eius. Cum in forma Dei esset, non rapinâ arbitratus esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam serui accipiens. Solus ergo Filius accepit carnem, ut posset corporeis oculis videri, manibus contrectari: solus humanam naturam sic accepit, ut suam faceret, & per illam diuinitatis quoque suæ noticiam misericorditer infunderet. Qui tamen reuelans seipsum, in seipso vtiq; reuelauit & Patrem. Tribuens quippe agnitionem suæ diuinitatis, simul agnitionem donauit & Patris. Diuinitas enim quæ vna est Patris & Filij, facie & Filium sine Patre, & Patre sine Filio non agnoscit. Inde est quod ait: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me?* Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Sic ergo Filius qui carnem solus accepit, in seipso Patrem iure vnius diuinitatis naturaliter ostendit: sic remoninuator, dum veritatem, quam meminit, loquitur, quod à se prolaticum indicat, hoc intus in mente repositum monstrat. Vox autem illa corporea, qua spirituale verbum induitur, ut ad audientium noticiam proferatur, simul fit à memoria, & à cogitatione & à voluntate: sed à sola cogitatione, id est, interiore suscipitur verbo, ut ad corporeas circumstantium aures interioris cogitationis procedat augurio. Illud autem verbum, sicut habitu corporeæ vocis accepto, totum ad audientes egreditur; sic in corde totum cum memoria, & voluntate spiritualiter inuenitur. Proinde quisquis hanc imaginem in mente hominis conspexerit, hæreticorum vaniloquia citius iridebit.]

Eadem bina capita analogia proposita, magis illustrata.

244. Vtrumque proximè propositum, nempe & Verbi in sinu Patris permanentiam incarnatione, & Verbi solius incarnationem, ex eodem exemplo declarat egregiè Augustinus serm. 23. de temp. [Quando (inquit) Deus est infirmitate carnis indutus, virginali vtero receptus est non inclusus, ut nec Angelis subtraheretur sapientiæ cibus, & nos gustaremus quàm suavis est Dominus. Quid hoc miramur de Verbo Dei, cum sermo iste quem promissus, ita liber semibus infuset, ut eum & recipiat, & non includat auditor? Nam nisi reciperetur neminem intrueret si includeretur ad alios non veniret. Et vtiq; sermo iste verbis syllabisque diniditur, nec tamen ex eo tanquam ex cibo ventris singulas particulas tollitis, sed omnes totum auditis, totum singuli capit. Nec timeamus dum loquimur, ne totum audiendo vñs absumat, nec alter possit habere quod sumat; sed ita vos attentos esse volumus, nullius aures mentemque fraudantes, ut & totum singuli audiat, & totum ad audiendum ceteris relinquas. Neque hoc sit æternis temporibus, ut cum sermo qui dicitur ad te primò intrauerit, exeat à te, ut ad alium possit intrare, sed simul ad omnes venit, & totus ad singulos peruenit. Etsi totus memoria teneri voluisset, sicut ad totum audiendum omnes venistis, ita cum toto singuli rediretis: quanto magis Verbum Dei per quod facta sunt omnia, & quod in se manens renouat omnia, quod nec locis concluditur, nec temporibus tenditur, nec moris breuitas, longisque variatur, nec vocibus textitur, nec silentio terminatur: quando magis hoc tantum, & tale Verbum, potuit matris vterum assumpto corpore fecundare, & de sinu Patris non emigrare; Hinc ad oculos humanos exire, inde mentes Angelicas illustrare: hinc ad terras proce-

des, inde celos extendere hinc homo fieri, inde homines facere. Nemo ergo credat Dei filium coeternum, & coequalem, conuictum & commutatum esse in hominis filium; sed potius credamus, & non hominis filium, & perfectè assumpta humana substantia, manentem Dei Filium factum hominis filium. Neque enim quia dictum est, *Deum erat Verbum*, & *Verbum caro factum est*; sic Verbum caro factum est, ut esse desineret Deus, quando in ipsa carne, quod Verbum caro factum est, Emmanuel natum est nobiscum Deus. Sicut verbum quod corde gestans, fit vox, cum id ore proferimus; nec tamen illud in hanc commutatur, sed illo integro, ista in qua procedat, assumitur: ut & intus maneat, quod intelligatur, & foris sonet, quod audiat. Hoc idem tamen profertur in sono, quod ante sonuerat in silentio: atque ita verbum cum sit vox non mutatur in voce, sed manens in mentis luce, & assumpta carnis voce, procedit ad audientem, & non deserit cogitantem. Non cum ipsa vox in silentio cogitatur, quæ vel Græcæ est, vel Latine, vel linguæ alterius diuersitatem res ipsa, quæ dicenda est, adhuc in cubili coram quodammodo nuda est intelligenti, quæ ut inde procedat, loquentis voce vestitur. Veruntamen verumque hoc, & quod cogitatur intelligendo, & quod sonat audiendo, mutabile atque dissimile est. Neque illud manebit cum oblitus fueris, neque hoc cum silueris. Verbum autem Domini manet in æternum, & incommutabiliter manet. Et cum carnem assumpsit ex tempore, ut ad temporalem vitam nostram procederet, non in carne amittit æternitatem, sed etiam carni præstitit immortalitatem: ita ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit ut gigas ad currendam viam.]

Attulatur Auctor libri de cognitione veræ vitæ cap. 16. verbis illis. [Sicut sempiterna virtus diuinitatis per ea quæ facta conspiciuntur, potest intelligi, sic hoc profundum mysterium & occultum, per ea quæ in nobis geruntur, ratione percutante poterit inspicere. Notum est enim quod humana mens verbum communis locutionis ex se cogitando gignit, & idem verbum in mente & in memoria simul vna essentia existit. Cum verò mens, verbum suum alijs innouescere cupit, cum eadem cogitatione, quæ nihil aliud est, quam verbum suum, & cum memoria disponit, quod idem verbum corpus vocis induit, & auribus audibile, & cordibus audientium visibile procedit. & etiam literis corpus suum ligari & videri permittit, & tamen inuisibile manens, de essentia mentis & memorie non recedit. Non ergo mens neque memoria, sed solum verbum singulariter sonuit per corpus vocis sensibile, & tamē inseparabiliter mansit in essentia mentis & memorie inuisibile. Sic summus Pater, Verbum suum, seipsum cogitando genuit, quod in Patre, & Spiritus sancti essentia simul coessentialia subsistit: sed tamen nec Pater nec Spiritus sanctus, sed solum Verbum quod est Patris Filius, singulariter humanum corpus induit, sed hominibus sensibile exhibuit, corpus sumptum indigna pati permisit, & ipsum inseparabiliter in essentia Patris & Spiritus sancti inuisibile & impassibile permansit.]

Magnalia Dei per Christum, ex eadem analogia.

245. Addit Gregorius Nyssenus ad calcem libelli de imagine, ubi hanc eandem verbi mentalis per sonum conuicti, cum Verbo diuino carne amico analogum veriat; addit inquam, ex hoc quoque exemplo innouescere magnalia Dei per Christum. [Ne prætere-

Theoph. Raynaud. Christus.

reas (inquit) hoc etiam ad similitudinem tuam; cum Dei imagine explicandam, quodd inquam ex hac corporali verbi ex labijs generatione, virtus & sapientia, & prudentia, & potentia, & profunditas animæ tuæ ac mentis, omnibus innouescit & diuulgatur; cum hoc quoque tibi exemplo declaretur, eam ad imaginem & similitudinem Dei, creatam esse. Etenim per Dei Verbi generationem secundum carnem, virtus & potentia, & sapientia, ceteraque omnia Spiritus sancti bona, in mundo manifesta sunt reddita. Vide enim quanta, qualiaque sint verbi, in figuram Dei Verbi in mundo præclara facinora, quaque ratione per verbum omnia condantur & constituentur: verbo producti sunt Angeli: verbo concelebrant Conditores; verbo, quæ sub aspectum cadunt, esse caperunt; verbo illuminatur creatura: verbo quæcunque sunt, innouescunt: solo verbo in lucem edita sunt; verbo, producta sunt elementa: verbo creatorem collaudamus: verbo, Dei cognitio promulgata est: per verbum, Deum agnoscimus, per verbum, constituta sunt omnia. Et quemadmodum mutus infans, brutus est ac sine mente apud homines, quousque verbum labijs genuerit, ita per Dei Verbi generationem in carne, omnis brutalitas naturæ nostræ deleta est, cum Deus Verbum, Patrem suum, creaturæ palam, & Spiritum sanctum reuelasset.]

Esse porro hæc Verbi per humanitatem opera, Verbo, non nudæ humanitati tribuenda, sic ex hoc ipso exemplo infert Hippolytus Martyr in excerptis de Theologia & Incarnatione contra Beimum c. 3. (extant r. 3. bibl. Colon.) [Mihi ut exemplo planum faciem, quod de Salvatore dictum est, ratio mea naturalis cognata est, & congruens, qui sum ratione præditus, & anima intelligente, cuius est operatio, quæ se anima mouetur & prima potentia semper mobilis ratio naturalis ex ipsa manans, quæ cum verbum à me factum est, & lineis bene signata, lingua quidem instar instrumenti aliquando eam profero, & literis artificiosè per dissimilia non mutam ostendo, ut audiat: non enim ratio mea naturalis est linguæ & literarum, est per linguam & literas eam profero; sed ex me est, qui secundum naturam loquor. & eam per linguam & literas promouo; ex mea quidem anima intelligente naturaliter semper manantem, per linguam verò meam corpoream organicè; ut dixi quando oportet prolatam. Sicut igitur in nobis quoad licet assimilare quod penitus assimilari non potest, per linguam nostram corpoream, immutabiliter facultas rationalis secundum naturam animæ profertur: sic in Dei corporatione, siue incarnatione, quæ supra naturam est, per ipsius sanctam carnem in ijs, quæ diuinè operabatur, citra mutationem omnipotens, & omnium effectrix diuinitatis operatio ostendebatur, extra omnem circumscriptionem secundum naturam remanens, quamuis per carnem naturam finitam elucebat. Non enim potest per naturam creatam circumscribi, id quod natura sua est increatum, quamuis vnitum est, ei in conceptu omnem mentem circumscribente, neque potest vnquam fieri in eandem naturam, & operationem naturalem, dum vtrique natura intra suam naturalem immutabilitatem manet. Eorum enim solum quæ sunt eiusdem naturæ est motus idem operans, qui substantiam declarat, cuius est potestas naturalis, quæ nulla ratione potest esse proprietas diuersæ substantiæ citra mutationem.] Descripsit cum cum alijs eiusdem operis locis, istum quoque Athanasius Bibliothec. Epistola ad Theodosium presbyterum Gangrensem.

Alia Verbi Dei per voces corporatio, hic dimittenda vsus doctrinae.

246. Cæterum non diffiteor, præter eam Verbi Dei corporationem quæ cernitur in carne Verbo adiuncta in Christo: alias quoque pleraque Verbi Dei corporaciones in vocibus prolatis assignari posse. S. Augustinus ferm. 23. ex 40. nouis qui est de S. Ioanne Baptista, multus est in hac analogia exponenda. Ibi *omnes animas pias predicatrices*, (sic appellat,) ad Verbum Dei non secus se habere docet, ac vocem ad verbum: omnes Prophetas & Patriarchas Christi venturi prænuntiatores, huiusmodi vocum nomine insignit, sed maxime S. Ioannem: quem idcirco ait, omnes voces quæ præcesserunt, representasse. Et idcirco propriè dictum esse vocem, tanquam omnium vocum signaculum atque mysterium. Verumtamen nulla talis vox fuit, qualis vox carnis Christi, de qua ibidem sic Augustinus, [Verbum manens, voces misit; & post multas præmissas voces, vnum ipsum Verbum venit, tanquam in vehiculo suo, in voce sua, in carne sua.] Iuuit nihilominus huius quoque corporacionis diuini Verbi in vocibus propositis meminisse, vt constaret qua ratione vsum doctrinæ toto capite propositæ, exprimere in seipso vnicuique liceat, exhibendo se vocem Verbi Dei, & analogiæ Verbi ac vocis quæ in Christo singularissimè emicuit, quantum magna paruis componere fas est, representando.

C A P V T II.

Verbum scriptum.

Habemus perillustrem Incarnationis imaginem in verbo prolato. Est tamen (vt verum fatear,) huiusmodi analogia minus idonea ad perspicendam Verbi pro nobis deiectionem. Nam verbum prolatum, accedit maxime ad spiritualia; quia ob viciniam cum mente, à qua immediatè manat, aliquid (quantum accidentem corporeo licet,) de verbi perfectionibus retinet; ideoque est vbique totum, (vt S. Augustinus pulchrè dissent. ferm. 84. de diuersis *sub finem*. Et in audientis intellectum sine corruptione ac læsione per aures illabitur.

Scriptio Verbi per incarnationem, iuxta Patres.

247. S. itaque Chrysostomus, aut quisquis alius autor sermonis de sigillis librorum, (qui habetur t. 6. Græcolat.) aptato ad processionem æternam exemplo verbi prolatis addit, aliam insuper ex verbo nostro prouisam esse diuinitus imaginem, ad perspicendam Incarnationis mysterium. Nimirum per scripturam, verbum nostrum quasi corporari & tractabile fieri obseruat. Eius hæc est ratiocinatio. [Hoc nostro sermone, cum Deus multò ante adumbraret, & depingeret æconomiam diuini Verbi imaginem quampiam admirabilem, floribus quos terra ex sese fudit, pulchrè resplendescentem, antecedente quadam consideratione sermonis, adhibuit. Itaque sermonem quidem nostrum, qui & inuisibilis & incorporeus est, neque tene-ri potest, Deus alio quodam modo sapienter ita conformauit, vt & aspicci posset, & teneri. Quid enim ille facit? Cum ille oculis quidem cerni non posset, Deus ipsum literis, velut corpore vestiuit; eique, cum carnem literas aspectabiles apposuit; & quem tu aliquando audiens, non cernebas, cum dum legis, conspicias: In quem incidere non poteras, in libro circumfers. Verum sermo quidem, literarum beneficio quasi corporeus euadit: non autem literis includitur, sed cum legente

& cum dicente coniunctus est. Nam licet aliquis arrepto libro eum disceperat, corpus ille quidem sermonis disceperat, non autem oratione disceperat.] Confirmat hoc exemplo libri quæ Rex Ioachim vt est apud Hieremiam c. 27. discissum in igne abiecit. Deus enim per Prophetam renunciari Regi iussit, ipsum quidem literas discississe, orationem tamen non discessisse. Subdit deinde Chrysostomus. [Imaginè igitur intellexisti; porro verò animum tuum ad res sublimiores & altiores erige. Vnigenitus ille Dei, ipse Deus carnem induit, vt, qui antè non apparebat, nunc appareat: qui antea non contrectabatur, nunc contrectari possit: Ioannes ergo exoptato illo oraculo inuento; quod quidem faciendo aliquando à nobis percipiebatur, postea verò his oculis aspeximus, ita: *Quod fuit ab initio, quod vidimus, quod audiimus, & manus nostra contrectauit.* Carnem igitur velut vestem diuinitatis circumferebat, sed vestem decentem: *Domini enim regnauit, decorem videmus est.* Iudæi certant cum eo qui apparebat: cum, qui non apparebat, non nocebant: & carnem illi quidem crucifigunt, diuinam autem illius naturam non tollunt. Nam si meus sermo cum litera quæ vestis est sermonis, non perit, & euanesceat: Deus Verbum, fons illæ vitæ, non vnà cum carne obij: supplicium illud ad corpus pertinebat, sed vacuitas omnis perpeffionis, erat circa dignitatem.]

248. Verum quia ex instituto, & admodum accuratè hanc verbi scripturam cum Verbo incarnato analogiam profectus est Theodotus Ancyranus homil. in natale Saluato. quæ est in Concilio Ephes. t. 6. editionis Peltani c. 10. iunabit aliqua inde excerpte. Post expensam ergo huius mysterij inaccessam nobis altitudinem, præfatus Theodotus, placere exemplo aliquo sensibili monstrare quomodo incorporeum crassefcat; & inuisibile visibile fiat; & secundum se impalpabile, tractabile euadat, propria natura non demutata sed sensibili tantum schemate assumpto, quæ est huius mysterij explicatio & adumbratio aliqua, interlocutus nonnulla contra fatuum Phorini de verbo prolatis incarnationis opinionem, subdit. [Verbum hoc quod profertimus, quoque in mutuis colloquijs vt consueuimus, factum est incorporeum, nullo neque visu, neque tactu percipi natum. Atqui simulatque verbum hoc, literas induit, elementaque suscepit, mox visibile, palpabileque factum, tam visu hauritur, quam tactu deprehenditur. Pone enim quempiam cum quopiam verba facientem; verba ipsa effusa, nemo vtique neque cer-nere, neque manibus contrectare potest. Quod si verò quæ dicebantur calamo & charta exceperis, iam statim quod priùs videre nequibas, videbis; & quam sermonis formam antea contrectare non poteras, eam per chartam & characteres iam contrectabis. Quid ita? Quia verbum antea incorporeum; corpus chartaceum, elementorumque figuras inducit.

Esse verò hanc Verbi diuini secundam quandam generationem, nempe in carne, sic exponit. [At quam, (inquis,) ratione cum Vnigenitus natus sit ex Patre, rursus nascitur ex Virgine? Ex Patre natus est secundum diuinitatis naturam, ex Virgine nascitur secundum carnis dispensationem. Hinc vt Deus, isthinc nascitur vt homo: Nam & tuum quoque verbum, quadam mentis tuæ proles est. At posteaquàm verbum istud, quod mens tua peperit, elementis & literis volueris exprimere, & in charta efformare, manu literas describis, & certa quadam ratione verbum tuum per manum denudè eniteris. Non quod tum esse sui exordium sumat, cum per manum exaratur; aut quod tunc deum, quando manus literas effingit, existere incipiat: iam ante enim ex mente enatum erat: sed quòd tunc tandem verbum per manum, vt cerni queat, accipiat. Cum ergo exemplum hoc